



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris, Thesibus, Dictatis Theologicis

[S.l.], [ca. 1692]

1687. Collegium Lovaniense sub P. Isaaco De Bruyn.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39173

26 PHILOSOPHISTÆ.

II. PARS. Dei, neque adeò pœnæ sensûs nunquam finiendæ reum statuit delinquentem.

IDEM COLLEG. LOVAN.

1686. *Rursum Pater DE REUX eodem anno 1686. 23. Julii num. 12.* Pœnam peccati mortalis æternam futuram docet Fides. At unde hanc meretur? Non incongruè offensæ Dei malitiam quodammodò infinitam ut causam assignaveris. Peccatum Philosophicum, ut Schola appellat, cùm non sit formalis offensâ Dei, pœnis sempiternis multi eximunt: nec immeritò, si speculari liceat Theologis Scholasticis.

COLLEGIUM LUGDUNENSE.

1686. *Eodem anno in Thesi pro prima exercitatione Lugduni in aula Collegii SS. Trinitatis Societatis Iesu mense Septembri defensa, sub titulo De Peccatis, Gratia & Virtutibus, hæc habetur positio: Peccatum ut sic est exercitium libertatis disconveniens naturæ rationali quâ tali: NON REPUGNAT PECCATUM PURE PHILOSOPHICUM.*

Eodem anno & mense eadem Thesis iterum apud Cluniacum, seu in celebri Monasterio Cluniacensi defensa ab eodem Jesuitarum Discipulo, cui nomen CLAUDIO SYLVESTRE MATISCONENSI.

COLLEGIUM LOVANIENSE.

1687. P. ISAAC DE BRUYN *in Thesibus anni 1687. 21. Julii num. 15.* Cùm Theologi statuunt peccatum mortale Theologicum pœnas sensûs æternas mereri, quia est gravis & formalis offensâ Dei sub
ratio-

ratione summi & infiniti boni agniti, passim etiam
negant peccatum Philosophicum æternas pœnas
sensûs mereri, cùm illud non sit formalis offensa
Dei sub ratione summi & infiniti boni agniti. An
non rectè? Nobis quidem ita apparet. Sed apud
timoratos iudicium esto.

IDEM COLLEG. LOVAN.

Idem in Thesibus anni sequentis eadem repetit in 1688.
octava Conclus. Quosdam, inquit, offendit pecca-
tum Philosophicum. Offendere, ut à nobis exponi-
tur, nisi fallimur, non potest. Per illud enim pecca-
tum intelligimus quod cum invincibili Dei ignoran-
tia committitur contra rationem, seu cum cognitio-
ne legis naturalis, non tamen cum cognitione legis
divinæ, sed cum ignorantia invincibili Dei ejusque
legis. Neque etiam negamus per hoc offendi Deum,
sed offendi negamus formaliter, id est, sub ratione
Dei ut boni infiniti agnitum: quod nobis sanè re-
ctum videtur & manifestum. *Et quia tunc istius dog-
matis absurditas cœperat innotescere, subjungit:* Ne-
que, quæ hinc invidiosa deduci possint, Corrollaria
videmus. Unum nos tantùm inferimus peccatum
hoc non mereri pœnas sensûs æternas, hoc nixi
argumento. Ideò præcisè quis illas incurrit, quia
graviter formaliter offendit Deum sub ratione
summi & infiniti boni cognitum. Philosophicum
autem cum illa cognitione non committitur. Igitur
pœnas illas sensûs æternas non meretur; aut illas
Philosophicè peccans non incurrit. Nobis certè ea
rectè dici posse videntur: Et cur non omnibus?